

9. Rem ita sese habere, non solum ex *Apologia manifestum est*, in qua hæc verbale leguntur: *In Cæna Domini verè & substantialiter ad sunt corpus & sanguis Christi, & verè exhibentur cum his rebus, quæ videntur, pane & vino, his, qui Sacramentum accipiunt: sed etiam formula Concordiae anno 36. inter Lutherum & Superioris Germanie Theologos Witteberge initæ, in quâ transubstantiatio rejicitur disertè, Augustana Confessio recipitur.*

10. Quod autem *Apologia Canonem Missæ, & dictum Vulgarii amplectitur*, quo dicitur panis in carnem Christi mutari, id ita accipiendum est, quod panis non mutetur ratione substantiæ, sed ratione usus, & quemadmodum Theodoretus ait, non natura panis amittatur, sed gratia apponatur.

11. Porrò corporis & sanguinis Christi sub pane & vino præsentia, & manducatio ac bibitio, quæ ore corporis nostri peragitur, & verbis Confessionis & argumentis in Apologia, disertè astruitur.

12. Nam præter spiritualem nostri cum Christo coniunctionem, quæ fide ac caritate sincera fit, etiam illam de sententia Cyrilli

enun-